

Hortelius n.
Kleppisius
De matrimonio
quodam promissio
sive juris
sancto firma
ta.



C

M

P 14/14





38
BREVIS
COMMENTATIO
DE
MATRIMONII QVADAM PROMISSIO-
NE IVREIVRANDO FIRMATA

Kn 3234 CONSCRIPTA

A

M. IO. MICH. HERTELIO, V. D. M.
M. HENR. GODOF. KLEPPISIO, S. M. C.

9 404



ALTENBURGI
LITTERIS PAVLI EMANVELIS RICHTERI.

BREVIS

COMMENTARIUS

DE

HEREDITATE

IN REBUS

CONCORDATA

A


M. JO. MICHEL HERBERTUS, A.D.M.
M. HENR. GODF. KLEINUS, S.M.C.



AL TENEBROSIS

LITTE RIS PAULI KNAUSII NICHOLAI





S. I.

FLORIANVS quidam, vir iuuenis omnibus fere rebus, maxime autem pietatis laude ornatissimus, cum sui plane iuris factus esset mortuis parentibus, flagrare coepit amore ingenuo JUSTINAE, virginis castae, probae, verecundae. Precibus igitur ad Deum factis et officii sui ratione diligentius considerata, eam in matrimonio et fortunarum suarum societate habere ardentem cupit atque exoptat. Adit vero eos, de quorum consensu esse debebat certissimus, si voti sui compos fieri vellet, parentes scilicet puellae: qui ei vehementer petenti tandem annuunt et filiam suam ipsi despondent, modo ne illa ipsa refragetur. Quid igitur Florianus? Propius ad Justinam, spem suam, magna cum comitate accedit, manum prensat ac vix osculatur, blandissime alloquitur, et ut verbo dicamus, nihil omnino praetermittit, quominus se proderet benevolentissimum atque amantissimum. Justina contra, ut non alieno ab eo iampridem erat animo, sic iam rigidam se simulat, quasi fidem dare blanditiis non possit. Cum autem Florianus exquisitis rationibus confirmaret, se rem serio agere, et constanti amoris sui testificatione instaret maioremque in modum a puella peteret, ut nutu saltem significaret propensam voluntatem: eo ventum est, ut pu-

ella tandem diceret, se nolle ei amplius adversam esse, dummodo iureiurando promitteret coniugium intra parvum temporis spatium ineundum. Praemeditatur igitur Florianus, quid sui officii foret, er iurat tandem non quidem Jovem lapidem, sed ad Deum O. M. provocat, a quo gravissimis malis affligatur, nisi quam primum fieri possit, sibi iustis nuptiis iungat Justinam. Facta ergo *oppugnatione salutis*, sic enim iusiurandum a cel. Jo. CHRISTOPH. BEGMANNO in Pol. Parel. c. V. §. VIII. ex re dicitur, neque virgo diutius moratur amasio suo adstipulari, et quod praecipuum est, aliquo interposito tempore nuptiarum solemnna pio ac christiano more celebrantur, quibus Floriano Justina nubit. Jam vero bonum maritum magnam voluptatem ex consortio conjugis suae capere, minime quidem latet: verumtamen subtristis nobis aliquando visus est. Cuius tristitiae originem cum ex eo quaesivimus, rem a nobis relata, uti gesta est, ordine enarravit addiditque moerens, se nihil in tota causa dolere, nisi iusiurandum, quo se impie obstrixerit. Hoc illegitimum esse, verbo tantum plus decies dixit, et rationes non magni sane momenti in medium protulit, quibus animus suus perturbetur.

Nostram contra sententiam, quam huc perscripsimus, legas, quaesumus, AFFINIS AESTUMATISSIME, benevolo animo et inter gaudia, si fieri possit, quibus nuptias tuas celebramus auspiciatissimas. Nostrum certe esse, hac tam hilari occasione ostendere, qua erga te sumus observantia, idque pro usitata consuetudine literis quoque publicis fieri debere, arbitrati sumus. Quare satis nobis erit, dummodo aperte significaverimus, etsi gravissimis negotiis, quae nosti, implicatos, studio tamen in te laborasse, neque operam nostram tibi plane displicuisse.

Ergo maxime alienae a nostra causa, quam defendimus, sunt quaestiones: utrum sponsalia vi metue contracta obligent, si iuramentum accesserit? utrum sponsalia liberorum clandestina, sine consensu scilicet parentum inita, iuramentum firmet? Conf. CARPZOVII Jurispr. Eccl. Lib. II. Tit. II. Def. XXVIII. item Lib. II. Tit. III. Def. LVIII. cum Add. Beyerii p. 104. et adde FRIDEM. BECHMANNI Theolog. Conscient. Tit. II. Caf. IX. §. 19. 20. cum aliis huius generis scriptis.

§. II.

Omnis autem quaestio in duas partes abit, ut nimirum probemus, Floriani iusiurandum legitimum esse, et deinde scrupulos,

9
los, qui animum eius angunt, tollamus. Legitimum dicitur, quod legibus consentaneum est, quarum diversa sunt genera: aliae enim humanae, aliae vero divinae, eaeque vel naturales, vel positivae. Quare quum nobis res sit cum homine, qui conscientia angitur, quasi summum numen peccato laeserit: idcirco in praesenti praeprimis ad leges divinitus datas respicimus, in iisque ad ea potissimum attendimus, quae de iuramentis scita ac iussa sunt: sanae rationis, puta, et scripturae huc pertinentia effata. Hominum enim imperantium instituta ab illis principiis ipsa quoque dependere necesse est. Quod si igitur argumento certissimo evincemus, a Floriano nihil adversum scripturam et rationem esse delictum, habebimus, quod volumus, Florianum nempe innocentem; et deinceps facillimum erit, opiniones eius sigillatim refellere. Neque nihil egisse iis videbimur, qui vel aliorum exemplo edocti sciunt, quam anxii interdum de uno alterove malefacto sint homines, qui gratiam summi numinis sibi esse conciliatam caeterum non dubitant.

Ante constitutum igitur et ex dicendis quoque sine admonitu nostro per se manifestum fiet, quod alias generatim disputatur, ius fasque esse iurare. Neque enim propositum est nobis, pugnare in Anabaptistas aliosque huiusmodi homines, quorum aciem ita refert IO. MALDONATUS in Comment. in IV. Evang. ad Matth. V. 33. seqq. *Multi, inquit, existimant, nunquam omnino christiano licere iurare, ut hodie Anabaptistae docent, et patrum nostrorum memoria Wicleffitae docuerunt. Error antiquus. Nam et Hilarius Syracusanus ille in epistolis ad Augustinum, quae inter Augustini epistolas LXXXVIII. est, narrat, quosdam Syracusis in ea haeresi fuisse, ut nunquam per Deum iurandum putarent. Pelagianorum genus fuisse et ex aliis eorum erroribus, quae simul in ea epistola recitantur, et ex Augustini responsione, epistola LXXXIX, quaestione V. colligitur. Quin et Origines Tract. in Matth. V. 35. prope ab eo errore videtur abesse.* Ut vero reliquorum, qui in eodem agmine errantium sunt, numerum inire animus non est: ita silentio praeterire necesse illustrem illam copiam cum philosophorum, tum theologorum, qui illos profigarunt. Neque tamen nos eo continemus, quin viri cuiusdam celeberrimi mentionem iniciamus, qui omnium firmissimum secundum illorum opinionem propugnaculum, quo contra omnes impetus recte sentientium se tutos iactabant ex ipsorum defensione vel solus decessisse et recuperasse videtur. Receptaculum, quod putamus, locus ille est, qui habetur Matth. V, 33. 34. 35. 36. 37. cui proxime adiacet Iac. V. 12. SEBASTIANVS autem SCHMIDTIVS rem bene gesit in Disput. de Iuramentis ex Matth. V. 33. seqq. et Matth. XXII. 16. seqq. quae undecima eorum est, quae Fasciculo Disputationum Theologicophilologicarum continentur Ienae MDCCXII. 8. typis collecto.

Et quoniam HUGO GROTIUS, cuius magna est auctoritas non quidem assertoria, sed promissoria iuramenta illicita esse existimavit, ut in

promtu est ex Libr. II. I. B. C. P. cap. XIII. v. 21. quae res propius ad nos spectat; consulantur, si lubet IO. AD OSIANDRI Observat. in Grotium, et, si operae pretium est, in subsidium vocetur ROBERTI SANDERSONI liber de obligatione iuramenti promissorii.

Cacterum qui scire cupit, quid de religione iurisiurandi ex sententia quoque Ictorum tenendum sit, non potinebit eum attente legisse D. FRID. LEBR. STOLTZII, viri consultissimi libellum sane utilissimum germanice scriptum, cui titulus est: Rationi conveniens huius temporis iuramentorum diiudicatio (Vernunftmäßige Beurtheilung der heutigen Eidschwüre) quique in publicum Lipsiae prodit MDCXXI. 8.

§. III.

Jusjurandum, quod Florianus dedit, non assertorium est, sed ad promissoria iure meritoque refertur: rem enim, quae promittitur, quaeque futura est, in se continet. Promissorium autem iusjurandum est affirmatio religiosa, qua alteri, cui promissio fit, notum facimus, nostrum animum persuasissimum esse de officii praestandi obligatione, et nos velle divinae iustitiae punitivae expositos esse, nisi officio satisfaciamus: eo nempe proposito, ut alterum de fide nostra certissimum reddamus. Hanc nostram definitionem tueremur quoque et defenderemus, si adversarius esset, et instituti chartaeque ratio id postulare. Planum enim quam facillime possemus facere, eam neque plus neque minus essentiae complecti, quae quidem ad pollicitationem iurato factam necessario pertineat, singulas quoque propositiones, quibus ea constat, nihil vitii habere.

Consentaneum tamen esse videtur, quae imprimis dubia esse possint, paucis iudicare. Primum est, quod de officii praestandi obligatione diximus, et eo spectat, ut cum SAM. PVENDORFIO sentiamus, *iuramenta in se non producere novam et peculiarem obligationem, sed obligationi in se validae velut accessorium quod vinculum superaddere*, ut est in libr. de offic. H. E. C. cap. XI. v. 7. Qua autem sententia uti stabilita et fixa est a viris doctissimis, ita adversum obiectiones confirmata quoque a celebr. D. AVG. FRIED. MÜLLERO in Iure Nat. et Gent. cap. IV. v. 7. cum annot. Alterum, de quo addubitari posset, num ad promissionis iuratae necessitudinem recte referatur, finis est, ut alter de fide nostra certissimus reddatur. Verum provocamus ad praeceptum secundum, quod Exod. XX. 7. habetur, ubi abusus nominis divini (שׁוֹמֵר) sub maxima comminatione nullis plane impunitatis prohibetur. Poena ergo impiae temeritatis, quae hic constituitur, non quidem determinatur, sed eo certior et gravior est. Conf. IO. MICH. LANGII Suppl. ad IO. GVILL. BAYERI comp. theol. mor. pag. 58. Ex quo sane conficitur, neminem iurare iusjurandum verum ac legitimum, nisi caveat, dum iurat, ne nomen Dei usurpet שׁוֹמֵר id est temere, frivole, absque commodo quodam, frustra. Hanc enim vo-

eis,

est, quatenus ad actiones refertur, veram esse notionem, vel ex unico sacri
codicis testimonio conspicitur, scilicet, Pf. CXXVII. r. 2. *Si Dominus, inquit*
Salomon, non aedificat domum, Nisi laborans aedificantes eam; si Dominus non
custodiat urbem, Nisi vigilat custos, Nisi vobis matura surgentibus et reliqua.

Quae cum ita sint, non videmus, quomodo is, qui iurans pollicetur, bene
possit agere et nominis divini abusum evitare, id est, non frustra, sed cum
commodo iurare, nisi animum alterius firmiorem tutioremque faciat.
Hoc est, quod volumus, pluribus autem persequi non licet.

§. IV.

Ergo definitio, quam dedimus, instar legis esto, quacum
conterendum et perpendendum sit quodvis iusiurandum cuius-
vis promissoris, quod legitimum dicatur. Ea enim notio effecta
est, postquam animo menteque concepimus, quid in omnibus
ac singulis iuramentis promissoriis essentialiter requiratur, ut se-
cundum sanam rationem summi que numinis oracula rectum sit ac
iustum. Compositum autem est ex tribus axiomatibus, sive pro-
nunciatis. Primum, ut in rem iuremus, quae non solum prae-
stari possit, sed aequa quoque et iusta sit: deinde, ut vere recte-
que sentiamus, Deum esse acerrimum vindicem scelerum, maxi-
me periurii; denique, ut bono consilio, nec inconsiderate ius-
iurandum fiat, quippe quod ad confirmandum alterius animum
pertineat. Quod si igitur haec tria momenta, quae definitionem,
uti in promptu est, conficiunt, in Floriani iureiurando matrimo-
niali conspiciantur, profecto consequens est, Florianum iniusti-
tia ac culpa vacare. In eo autem iam sumus, ut persequamur
hanc viam, qua ad id, quod volumus, pervenire poterimus.

Quid si diceremus, tres illas partes, in quas definitionem distribuimus,
eadem ratione in Ier. IV. 2. sigillatim enumerari? Iurandum esse, ibi di-
citur Deum Vivum, ita quidem, ut hoc fiat: **יהוה** animo vero ac sine-
ro, quippe qui sciat, rem se habere cum Deo omniscio, impietatis vindice,
quod secundo loco a nobis ponitur: **בדעת** cum iudicio, neque temere,
sed in aliorum, si quod promittimus, fiduciam, quod tertium distributio-
nis nostrae membrum est: **בצדק** cum iustitia, ne nos obstringamus ad
rem perficiendam, quae iniusta, iniqua, prohibita sit, quod primum in no-
stra partitione conspicitur. Sed haec altius repetenda, et argumentis ex
indole hebraeae linguae largiter desumptis essent confirmanda, sed attingere
licuit tamen.

§. V.

Quod ad primum causae nostrae praesidium spectat, ridiculi
fere essemus, si conquisitis rationibus probare velimus, Florianum
num

num rem esse pollicitum, quam praestare potuerit: a promissis enim stetit et perspicuum quoque factum est, ut oculis manibusque iudicari possit, eum iura matrimonii non solum scivisse, sed etiam exercuisse. Ab eo autem officium suum, imo debitum flagitasse, ut connubium iniret, neque adeo iurantem nefas in se suscepisse, tribus licet cognoscere argumentis. Primum probe tenendum est, coniugium ad divinitus instituta iure meritoque referri. Annon enim summae necessitatis est, necessitatis, puta, quae Dei, omnium rerum procreatoris et conservatoris voluntati sit convenientissima, liberos generari, qui hominum morte sensim rarefcentium numerum aut suppleant, aut adaugeant: genitos autem ita educari, ut ne inutilia terrae pondera, sed generis humani focii esse videantur? Quae sane absque opera coniugum impetrari non possunt. Annon cum coniugum societate comparatur naturarum Christi, Salvatoris nostri unio, et quae inter eum, et homines fideles intercedit coniunctio. Quod utrumque mysterium *i. xovs* in Mystico Coniugio ita facit coalescere: *Deitas*, inquit, *et humanitas in unum compositae efficiunt servatorem, unumque caput et maritum animarum; et anima connubio alligata illi, qui est Deus, sit unum cum Deo: ille quidem per unionem personalem, tu vero per mysticam.* Hoc autem ut reliqua taceamus, eo pertinet, ut decus ac dignitas agnoscat, quae similitudine illa ac comparatione connubiis adiuncta sit, neque ea inter fordidas atque impuras res referantur. Iam vero secundo loco ad Florianum redimus, de quo excutiendum ac stabiliendum sit, eum suo sigillatim officio devinctum fuisse, ut iugum illud subiret, sive dulce potius onus in se susciperet. In censum hic veniunt animi, corporis fortunaeque dotes, quibus praeditus est, cupiditatumque suarum instinctus, quibus flagraverit, et reliqua, quae silentio praeterimus. Sed ex tota hac causa Floriani unum illud memoratu dignum est, quod secundum cel. IO. FRANC. BVD-DEI Inst. Theol. Mor. Part. II. cap. III. Sect. 6. §. 8. semper censuerit: *iniquam esse, quae ad humani generis conservationem pertineant, in quosdam devolvere, nec in se suscipere velle.* Postremo diiudicanda ratio officii est, quae Florianum moverit, ut non aliam, atque Iustinam sibi coniungendam putaret. At concedimus, liberum illum fuisse, nulla enim vincula alius stipulationis impediabant, et quam voluisset, ducere potuisset, Iustinam, an Brigittam, an Cunigundam, an Catharinam. Negari autem non potest,

9
potest, id quod ipse palam profiteretur, simulac primum conspexit Iustinam suam, illico mirificos amoris igniculos corde suo sensisse; et hoc quidem ipsi mirum visum est, quum alias eximia quoque forma puellas sine hac animi commotione contemplatus esset. Neque tamen hoc illud est, quod IUVVENALIS de Ca-
tullo Messalino Satyr. IV. 114. canit:

Nunquam visae flagrabat amore puellae.

Florianus contra ex eo, quod mirum ipsi accidit, ut et ex aliis divinae providentiae indicis et vestigiis bene collegit, se praesente numine regi, sibi ostendi, sibi dari Iustinam in matrimonium. Conf. Gen. XXIV. 48. Quicquid autem hoc sit, quod saltem ab hominibus nimium cautis disputari possit, Florianus recte et ex sententia summi legislatoris fecit, quum officium suum, quod infinitum et quasi vagum erat, Iustina sua finiret ac determinaret. Et sic promisso Iustinae factò, id quod iuris imperfecti antea erat, perfecti esse coepit, uti philosophi loquuntur. Satis de officio.

Ad manus sunt, dum hoc scribimus, duo libri, qui inter se invicem nulla cognatione esse videri possent. Hic, quem primum arripimus, minor est, forma nempe, uti vocatur, duodecima et titulum in fronte gerit: *In-teriora Regni Dei vidit et testatur F. Rous, Colleg. E. Praep. Luc. 17, 21. Regnum Dei intra vos est. Londini anno Domini 1655.* In tres autem partes distribuitur, quarum tertia inscribitur: *Mysticum Matrimonium, quo iunguntur Christus et Ecclesia*; cuius quidem testimonio supra usi sumus, ut adeo occasio nobis daretur haec annotandi. Ille autem, ut oculus iam nos docet, maior et germanus est cum inscriptione: *Die christliche Ehe zwischen Christo und der Seelen.* Lipsiae prodit anno 1713. operam navante et praefationem adponente M. Adamo Berndthio. Germanum alium, ac latinum antea rebamur, dispares quippe inter se et multum disiunctos; maxime cum Berndthius in prologo suo testetur, suum primam lucem Sultzbacii anno 1668. aspexisse, et anonymi cuiusdam foetum esse. Verum opinio nos fefellit, siquidem mysticum illud matrimonium non nisi habitu romano ab opere, quod Berndthianum liceat nominare, differre, collatione facta sumus edocti; tantum quod in Berndthiano imagines earumque interpretationes metricae cum appendice quarundum cantionum accesserunt. Quae quidem, uti vitio vertenda homini non sunt, ita paucis annotasse extra noxiam erit.

§. VI.

Ut ad alterum iurisiurandi promissorii momentum progrediamur, quod ex §. IV. in Dei notitia eiusque pio cultu consistit, promptum dictum est, Florianum recte sensisse et etiamnum sentire, Deum esse acerrimum scelerum vindicem, maxime per-
iurii.

B

iurii. Is enim est Florianus, qui non modo veram et exquisitam Dei O. M. notitiam habeat, sed adeo veretur quoque summum numen, ut tenerrima sit conscientia et scrupulis perturbetur, quibus alii ne minimum quidem tangerentur. Quidni igitur iustitiam illam vindicantem credat, et tum crediderit, quum ad eam iurando provocaret? Imo potius dicamus, rectius sensitse, et quod egit melius sibi constare, quam aliorum ferant sententiae et iudicia. Nam optime quidem tenuit, transgressionem officiorum, ad quae praestanda te obstrinxeris, nihil aliud esse, ac praetermissionem divinitus praeceptorum, quibus neglectis naturali quadam ratione maxima damna consequantur. Ex quo notio illa iustitia divinae, quae punitiva vocatur, a philosophis conficitur. Verum enim vero amplius quid persuasus fuit, Deum sapientissimum et liberrimum et posse et velle libera quoque animadversione fontes punire, neque quasi alligatum esse ad necessarios illos peccatorum progressus: qui certe hac in universitate multoties impediuntur, nec sibi constare, sed bonis male, bene autem malis interdum evenire videantur. Morte scilicet ex Rom. VI. 23. Deum peccata vindicare, illa quidem, quae non solum omnimodam vitae gratiaeque divinae detractionem, sed incommoda etiam maxima extra necessarium illum nexum quoque infligenda, imo cruciatus sempiternos significare recte creditur. Et quod potissimum est, Florianus, dum iurandum ipsi erat, uti sui ipsius testis est, secum in animo bene consideravit, quantum scelus committeret, si peieraret, et quam graves poenas Deo esset daturus. Et recte quidem. *Periurium enim, ut verba viri cuiusdam celeberrimi nostra faciamus, efficit, ut peccata, quae alias infirmitatis forsitan humanae vitia essent, proaeretica et voluntaria fiant, et cum manifesta Dei abnegatione et contemptu coniuncta appareant: quae sane causa est, ut haec tanta flagitia a Deo vindicentur quam severissime.* Alii autem de flagitiis poenisque periurorum consuli possunt, verbi gratia, BALDVINVS, BROCHMANDVS, HARTMANNVS, GVNTHERVS, OLEARIVS. Nobis sufficit probasse, Florianum ex more antiquorum christianorum iurasse, quorum nomine ATHANASIVS in epist. ad monach. *ὀρσιζουεν*, inquit, *κατὰ τοῦ παντοκράτορος*: atque ita quidem, quod ad alterum causae caput, religionem nempe pertinet, extra culpam esse.

Non

Non alienam causae nostrae putamus hic notare hominum quorundam astutiam, nescimus an dicamus stultitiam, qui nobis dant ac concedunt, poenas illas scelerum, periurii maxime, quoad in hac vita infligantur, praeter illam damnorum necessitatem ex aliis quoque causis consequi, Deo causas ita speciali quadem providentia dirigente: sed tamen, quod largiuntur, rursum auferre videntur, quando omnia in universum divinitus immissa perituris supplicia non in dubium modo vocant, sed plane inficiantur. Quod EVSEBIUS in Libr. 17. c. IX. de illis nebulonibus habet, qui Narcissum accusando et calumniando peierarunt, et poenas, quas in se depoposcerant, Deo vindici dederunt: quod ALBERTVS KRANTZIVS in Saxonia sua, de Rudolpho, Sueciae duce refert, qui dextra cum truncatus esset, quae se Henrico IV. imperatori suo sub sacramenti religione obstrinxerat, summi numinis vindictam agnovit: quod alii de clade christianorum Varnensi et aliis iustitiae divinae ultricis vestigiis memoriae prodiderunt, hoc omne illis vel fabula est, vel fortuito contigit. An Zedechias quoque forte fortuna supplicio affectus est, quo tamen secundum Ezech. XVII, 13. 16. 18. 19. 20. iustas debitasque Deo persolvere poenas debuit. Annon pugnantia loquuntur, qui non negandum esse dicunt, dari quendam Dei in puniendis sceleribus providam curam, modo abstractivè mens eam concipiat, quae vero nulla sit, si in concreto foret consideranda. Melius et constantius IVSTINVS HISTORIC. qui etsi gentilis esset, neque viri numinis sensu se tangi putaret: *Nec Prolomaeo, scripsit, inulta scelera fuerunt. Quippe diis immortalibus tot periuria et tam cruenta parricidia vindicantibus, brevi post a Gallis spoliatus regno captusque, vitam ferro, ut meruerat, amisit. vid. Hitor. Lib. XXIV. cap. IV. §. 10. Rêcte et ex veritate. Qualicunque enim, quae putantur, numina peierata, a vero numine vindicantur, uti est apud HVGON. GROT. Libr. II. cap. XX. §. ult.*

§. VII.

Tertia iurisiurandi, quo promissum facimus, affectio est, ut ex §. IV. non petulanter et inconsiderate fiat, sed quo alter de nostra sententia animique fide certior et securior reddatur. Quisquis enim summum numen, ut par est, colit, eiusque sanctitatem reveretur, is sane impium et in Deum iniurium esse dicet, absque praegnantate ratione et ex mentis quadam levitate sacramentum usque quaque velle contendere. Quam iniuriam si quis inultam impunitamque fore dicat, hunc necesse est, nescire quid sit Deus iratus. Floriani autem non est, quae prohdolor! passim increbuit et invaluit consuetudo quotidianis et frivolis quoque sermonibus gravitatem et auctoritatem, uti putatur, vana religionis asseveratione addendi; neque meminerint eius focii atque amici, vel semel communi in vita maximo illo numine esse abusum. Quare plus ei quoque fidei praebetur, quam simplicissime aliquid affirmat, vel negat, quam bis centum aliorum iura-

iuramentis, quae more malefano et nullo iussu evomuntur. Et, ut dicamus, quod res est, sibi derogant ipsi fidem, qui nihil pulchri et oratorii proferri a se posse putant, nisi omnis ipso-
rum sermo iuramentis tamquam flosculis fragrantissimis perspergatur. Et quamquam hominibus timidis continua fere ad res tremendas provocatione se horribiles et formidolosos reddant: suspecti tamen sunt omnibus, quasi suis ipsorum dictis minime confidunt, nisi religionis sigillo confirmentur. Quid ergo est, cur putent, sibi credi oportere, maxime cum experientia doceat, esse plerumque mendacissimos? Sed hoc parum, vel fere nihil est ad indignationem illam divinam. Florianus contra serio rem egit et eo proposito, quo ipsum decuit, ut adeo Iustina persuasissima de eius voluntate fieret eique consentiret, quod satis est ad eius integritatem probandam, quoad de tertio definitionis momento quaestio est. Plane ex mente AVEVSTINI quoque, qui de se in ferm. XXVIII. de verbis apost. ita scribit; *Iuro, sed quantum mihi videtur, magna necessitate compulsus, cum videro, non mihi credi, nisi faciam, et ei, qui mihi non credit, non expedire, quod non credit.* Conf. FRID. BALDVINI Caf. Consc. Libr. II. cap. IX. caf. IV.

ISOCRATIS contra praeceptum, quod in Orat. ad Demonicum pag. 12. edit. Wolf. ita se habet: *ὄρον ὑπακτον προδίδου διὰ τοῦ προφάσεις, ἢ σεαυτοῦ αἰτίας ἀσεχρῆς ἀπολέων, ἢ φίλους ἐν ἀνδρόν διατέλλον*, nimium coartare iurandi officium non immerito videbitur. Recte quidem iusteque aliorum iussu iurari potest, ut ex infamia turpique causa nos eripiamus, aut amicos a periculis, in quae coniecti sunt, liberemus; sed latius quoque patent iuramentorum fines, uti perspicuum ex iis, quae §. III. diximus. Verum, quamquam Isocratis, non christiani, neque egregii certe philosophi auctoritas parum valeat: tamen ingenii sui peccatum excusationem apud eos habere poterit, qui sciunt, iurisiurandi officium non quidem summae necessitatis, sed commoditatis tantum esse; neque igitur homini, cui liberum sit, velitne iurare, anne, inepte praecipitur, quod in sententia oratoris est. Sed quam valida ac firma haec sit excusatio, aliorum sit iudicium.

§. VIII.

Sequitur, ut rite positus fundamentis, quibus causa, quam defendimus, innititur, scrupuli quoque sigillatim removendi sint, qui Florianum animum stimulant. Rationes puta erroris sui, quae sunt, se iurasse privatim, neque in foro publico, se iurasse more gentilium Veneri deditorum, se iurasse denique iusiurandum, quod sponsalibus publicis potuerit evitari. Quae animi offensa,
dicula,

dicula, etsi tamquam exigui lapilli nec molem, nec pondus habeant, ipsi tamen ingentium montium instar esse videntur. Animus enim, quo angitur, in pectore quasi iudex sedet, qui sententiam de eo, quod factum est, suis ipsius oculis ferre velit, attamen se incio tantae bonitatis microscopio utitur, ut culex elephantis magnitudine conspiciatur. Quare subveniendum est, ut visui eius consulatur.

Recte autem, sed non perfecte ac sufficienter IO. CHRISTOPH. BECMANNVS in Lin. Doctr. Moral. cap. V. §. 8. scrupulum ita definit, ut sit formido animi circa praxin suam, quae conscientiam vexet instar lapilli exigui in calceo latentis, qui pedem excruciat, neque quaelibet formido proprie scrupulus sit, sed illa, quae ex levibus fundamentis, vel nullis oritur. Nam FRID. BALDVINVS in Cas. Consc. Lib. I. cap. X. pag. 5. iam antea monuerat, scrupulum, non solum formidinem, sed etiam anxietatem esse posse, cum quis anxius est de vita ante acta, an per omnia legi divinae conformis fuerit, an officium suum per omnia fecerit, an hoc, aut illud omiserit. Nos autem et hoc addimus, nullam videri causam esse, quae impediatur, quominus levissima quoque illa argumenta, quibus erronea quaedam opinio, quasi facinus esset commissum, mentem excruciat, scrupulos dicere possimus.

§. IX.

Primum argumentum, quo Florianus in sui quasi perniciem ex §. VIII. utitur, se iurasse privatim, nec publice, eam habet sententiam, ut quodcumque iusiurandum, nisi a magistratu sit delatum, culpandum esse censeat. Verum bonum illum virum maxum opere errare, neque penes iudices tantum eam religionis potestatem esse, ex dicendis non difficulter consequitur. Non enim dubitari potest, quin iurandi officium ad eum hominum statum referri oporteat, qui naturalis dicitur, et alius certe est, ac civium imperantiumque conditio. Res probatione non eget, ut adeo causa nulla sit, quae ratiocinando conficiatur, quare id, quod iuris naturalis et liberrimi est, in iurisdictione magistratus concludatur. Dicat forsitan, eos, qui in summo imperio sunt, ut libertate venandi, piscandi, ita iurandi quoque licentia cives suos privare posse. Ut ergo concedamus, etsi in promptu sunt, quae opponerentur, hoc fieri posse: quaestio tamen non de eo iam est, quod fieri possit, sed quod eo consilio factum sit, ut non amplius liceat intra privatos parietes iurare. Hac enim ratione manifestum fit, iuramentorum quidem obligationem in forum esse introductam secundum l. i. ff. et C. de Iureiur. Nov.

Leon. 97. sed eorundem tamen liberum sanumque usum legibus non esse prohibitum, id quod vel ex partitione Ictorum, qua aliud voluntarium, aliud iudiciale esse volunt, tamquam oculis conspicitur. Quid igitur Floriano relinquatur, quo ius suum, quod in foro peranguite sane coarctatum velit, tandem obtineat? Nihil amplius, quam codex facer, qui vero gladius est, quo opinionem suam non defendere liceat, sed iugulare potius magno suo commodo. Quocirca, ne longi in re aperta esse videamur, verbis ex HENRICI BULLINGERI serm. de Iureiurando desumptis existimandum est, si frater, aut soror sibi misere metuat, aut omnino confirmari, aut certum habere cupiat, in re non levi, sed momenti alicuius, contra Deum et leges eius nihil peccari, si quis sobrie veritatem sub invocatione nominis Dei attestetur. Certe constat patriarcham Booz misellae et sollicitae Ruth fidem suam attestatum esse, ac dixisse: vivit dominus. Privatim denique inter se conveniunt et mutuum iurant Iacob et Laban Gen. XXXI. David item et Jonathan 1. Sam. XX. sed et Abdias et Helias, viri maximi 3. Reg. XVIII.

Longe alia res est, si quando homini christiano consilium dandum, quomodo circa iusiurandum circumspicere et prudenter se gerere oporteat. Tum enim non quidem Isoeratis, de quo supra diximus, praeepto utemur, sed plane suafores et auctores ipsi erimus, ut quantum in ipso sit, omnino non iuret, nisi in foro, et id quidem aegre et difficulter. Nostri autem consilii eas dabimus rationes, quibus consequitur, nos plerumque potestatem sine nostro aliorumque incommodo declinandi iurisiurandi habere, animi levitatem, quam quis iurando prodit, esse peccatum gravissimum, periurii autem poenas maximas. Teste enim AVGVSTINO *falsa iuratio exitiosa est, vera iuratio periculosa est, nulla iuratio securior est.* Quorsum etiam pertinent, quae idem Hipponensium praesul epist. CLIV. his monet: *In novo testamento dictum est, ne omnino iuremus. Quod mihi quidem propterea dictum videtur, non quia iurare peccatum est, sed quia peierare immane peccatum est, a quo nos longe esse voluit, qui, omnino ne iuremus, commonuit.* Ex hoc autem nostro consilio, facile quisque videt, non confici, si cui causa fontica, uti Floriano, fuerit, ut bono veroque iureiurando se constringeret, sive privatim, sive publice id fieret, cum culpam in se admisisset.

§. X.

Alterum argumentum, quod errori suo secundum §. VIII. adfingit Florianus, ex perversissimo poetarum gentilium more eorumque carminibus amatoris enatum est, quae procul dubio asseverationibus impientissimis ad nauseam usque scatent.

Non

Non autem nobis sermo est de moribus gentilium, quasi in universum nullam probitatis significationem habuerint: animi enim veritatem in mendacio quidem detinuerunt, neque tamen impedire eam potuerunt, quominus aliquando se proderet, sive potius exsplendesceret Rom. II. 14. Exemplo est Iustinus, de quo ad §. VI. supra dictum est. Illius vero impietatis, quae ne speciem quidem excusationis habere vere christianis videbitur, quacum tamen Florianus se contendere ac comparare velit, documenta fere innumerabilia extant, ex quibus aliqua saltem in medium producemus.

TIBULLVS Libr. IV. carm. XII.

*Nunc licet e coelo mittatur amica Tibullo,
Mittetur frustra, deficietque Venus
Haec tibi sancta tuae Iunonis numina iuro,
Quae sola ante alios est mihi magna Deos.*

PROPERT. L. II. et XVI.

*Ossa tibi iuro per matris et ossa parentis,
Si fallo, cinis heu sit mihi uterque gravis,
Me tibi ad extremas mansurum, vita, tenebras,
Ambos una fides auferet, una dies.*

OVID. Amor. L. III. et XII.

*Parce, per o lecti socialia iura, per omnes,
Qui dent fallendos se tibi saepe Deos,
Perque tuam faciem, magni mihi numinis instar,
Perque tuos oculos, qui rapuere meos,
Quidquid eris, mea semper eris.*

Oimpias, vanas et frivolas voces! Ut silentio praetereamus ineptissimas formulas, quibus sanctissima iurisiurandi religioni per iocum detrahunt, quarum larga messis est apud scriptores, BRISSONIVM quoque et ALEXANDRVM AB ALEXANDRO: nulla quidem ratione illi homines sibi constare possunt, etsi serio quoque iurare Deosque suos eorumque vindictam testari vide-

videantur. Deos vindices perfidiae provocant, quos neque vindices velint, neque credant; ubi ergo illud iurationis officium, quod secundo loco in §. IV. posuimus? Communem autem eorum sententiam profitetur OVIDIVS Artis Amator. Libr. I. v. 631. seqq.

Nec timide promitte: trabunt promissa puellas,

Promisso testes quoslibet adde Deos.

Iupiter ex alto periuria ridet amantum.

Et iubet Aeolios irrita ferre notos.

Per styga Iunoni falsum iurare solebat

Iupiter: exemplo nunc favet ipse suo.

Et si mavis philosophum, audi CICERONEM illum de offic. Libr. III. cap. XXVIII. ita differentem: *Quod est igitur, dixerit quis in iurando? num iratum timemus Iovem? at hoc quidem commune est omnium philosophorum, non eorum modo, qui Deum nihil habere ipsum negotii dicunt, et nihil exhibere alteri: sed eorum etiam, qui Deum agere aliquid et moliri volunt, nunquam nec irasci, nec nocere.* Quae pluribus persequi necesse non est, facile autem ex iis, quae diximus, de caeteris quoque iurisiurandi promissorii momentis a nobis §. IV. requisitis, ab illis vero neglectis iudicandum est. Quae enim illa res bona est, quae primum a nobis merito postulata est, quam iurando confirmarent? Fides, inquis, quae praecipua rerum pulcherrimarum est. imo fides est, non coniugi, sed amicae, sed scorto praestanda. En vitium ac culpam! Ubi denique laudabile illud consilium, quem legitimi iurisiurandi, quo promissio fit, tertiam partem eodem §. IV. constituimus, ex quo fidei firmissima persuasio consequatur? An nescis, eos nihil praeterea quaesivisse, nisi fraudem et fallacias, quibus feminas inducerent, ut suis libidinibus eo facilius obtemperarent. De quibus ipse CATVLLVS carm. LXV. ita canit:

Qui, dum aliquid cupiens animus praegessit apisci,

Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt;

Sed simulac cupidae mentis satiata libido est,

Dicta nihil metuere, nihil periuria curant.

Quid

Quid ergo est, cur Florianus suam animi integritatem, Dei reverentiam iustitiaeque laudem cum tot sceleribus et flagitiis aequare ac conferre velit? Nihil sane.

Quam deformis non aphrodisiorum tantum, sed caeterorum etiam iuramentorum apud gentiles fuerit conditio, ex horrenda quoque morum indole, qua numina sua esse, ipsi illi homines, eorum veneratores fingebant, luculentissime patet. Exemplo sit Iupiter, qui est apud HOMERUM Iliad. T. *θεῶν ἑκατος καὶ ἄριστος* audiatur, attamen ab omnibus ferè ac singulis suis cultoribus ita depingitur, ut non Deum eum esse, non hominem, sed scelus, sed pestem, sed malorum colluviem agnoscas. Nullum enim fere dici potest scelestum ac nefarium facinus, nullum periurium, nullum maleficium, quod non patruerit ille optimus maximus. Ut adeo sine magna opera, si negotii pretium esset, amplissimam de Iove Maximo Peccatore commentationem conferbere possemus. At hic est ille fons iustitiae, de quo Minos, *Διὸς μεγάλου βασιλεὺς* secundum HOMER. Odyf. T. omne ius fasque in homines derivaverit. Ab hoc sane scelerum ultore periurii poenas sibi metuerent homines, a quo vel maxime iusiurandum nomen suum habeat, si fas est credere, ut ex APVLEII Libr. de Deo Socr. tamquam Iovis iurandum dicatur.

§. XI.

Reliquum est, ut ad argumentum tertium respondeamus, quo anxius et scrupulosus Florianus suum errorem defendit; se enim iniuste, putat, iurasse eam quoque ob causam, quod iusiurandum, quod dedit, sponsalibus publicis declinari potuerit. Primum igitur est, quod ipsi opponimus, eam declinationem, quae fieri potuerit, non tanti esse, ut ea neglecta iusiurandum, quod iustissimum erat, iniustum ac vituperabile redderetur. Quis enim sanæ mentis homo dicat, rem bonam et aequam ex eo culpam sibi contrahere, quod ea ratione facta sit, ut tamen esse potuerit infecta? Et quis umquam opinabitur, iusiurandum quoddam, quod vitio caret, uti de eo, quo se Florianus obstrinxit, §. V. VI. et VII. probavimus, vitiosum esse, quoniam occasio sive facultas id evitandi in promptu fuerit? Quare ne in re apertissima ambages quaerere videamur, ad alteram tamen argumenti partem progrediamur, nempe ad possibilitatem illam ipsam, quae a sponsalibus publicis ducitur, quaeque mora-

C

lis

lis certe sit. Haec ergo possibilitas ante constituit, puellae parentes voluisse, vel debuisse quoque publicorum sponsaliorum solemnia instruere. Iam vero Florianus non nescius est, neque focerum, neque socrum suam voluisse sumtus in eorum celebrationem facere, eiusque rei habuisse gravissimas causas. Debuisse autem eos facere nulla ratio dari potest neque iuris naturalis, neque civilis, neque ecclesiastici, ut potius iam satis sponsaliorum publicorum per illam sponsonem, de qua §. I. diximus, factum sit. Non nescimus quidem, quae MENTZERO aliisque hac de causa haereat opinio, quaeque a BELLARMINO lis mota sit nostro CHEMNITIO: verum omnia videmus, quae in utramque partem disputantur in eo convenire, ut ad probationem tantum, quam in foro ecclesiastico fieri oporteat, praeter parentes desponsatorum alios quoque testes flagitare videantur. Sed quid hoc ad Florianum eiusque sponsam, focerum quoque et socrum, qui de mutua inter se invicem fide adeo certi erant, ut ne probatione illa publica se unquam egere posse credidissent. Quare nihil etiam est, quod illi debuisse viderentur. Non alienum autem erit, in hanc causam addere celeberr. IO. BALTH. WERNHERI testimonium, quo eo lubentius utimur, quo firmioribus nituntur, quae profert, argumentis. Praeterea, inquit in Princip. Iur. Eccl. cap. XIII. §. XX. *dividuntur sponsalia in publica et clandestina. Illa Iure Civ. et Canon. audiunt, quae cum consensu parentum, quamvis absentes fuerint, contracta sunt: clandestina autem, ubi parentum consensus deficit. Utroque enim hoc iure testes non ad formam, sed tantum ad probationem sponsaliorum requiruntur; adeo, ut probatio aliter quoque, quam per testes, v. g. documenta fieri possit. L. 4. pr. L. 7. pr. de spons. c. 2. X. de clandest. despons. Hodie in Saxonia, et alibi passim, eo casu, ubi uterque parens ex parte sponsi pariter, et sponsae, non amplius in vivis sunt, vestium praesentia omnino opus est; alias sponsalia clandestina censentur, et ipso iure nulla sunt, etsi de illis ex utriusque partis confessione constet. Vid. Ord. Eccl. Sax. tit. von Ehe- & Gelöbnissen, ibid. Wo auch zwei Personen, so NB. beyderseits keine Eltern haben. Et his quidem tertium quoque erroris Floriani tamquam munimentum destrutum*

atum esse arbitramur, ut inde nullum amplius ei refugium relinquatur.

Alia rursus res est, si consilio locus datur, quo ii instrui debeant, qui matrimonium inire cupiunt. Tum enim omni modo annitimur, ut iis persuadeamus, se prudenter, caute et bene facturos, si quando sponalibus suis auctoritatem publicam adiungant. Imo eo usque consulendo progredimur, ut *applicaturis ad matrimonium animum, ne quid inconsultis parentibus, cognatis, Pastore, qui felices successus a Deo exorare collaboret, tentent agantve, auctores hortatoresque simus*: quae quidem verba ex Ratione Disciplinae Ordinisque Eccl. in Unitate Fratrum Bohemorum, ut typis expressa fuit Lefnae MDCXXXII. p. n. 50. transcripsimus. Consilii nostri eas quoque, grauiissimas sane rationes damus, quae CARPZO V. Iurisp. Eccl. Libr. II. Tit. III. Def. XXXII. §. 3. 4. 5. seqq. continentur. Sed consilium est, si discesseris ab iis, de quibus institutis ecclesiasticis cautum est, non lex, quam sine vitio migrare non possis. Regula est, quae exceptiones suas patitur.

§. XII.

Tranquillo igitur esto animo Florianus. Tu autem, VIR PLVRIMVM REVERENDE, AFFINIS OPTATISSIME, aequi bonique consulas, Tibi nos has paginas obtulisse, quae si forte spem, quam de nobis concepisti, frustratae sunt, studio tamen in Te nostro conscriptas esse ut censeas, iterum iterumque petimus. Malumus quoque Tibi, Vir praecipua laude dignissime, literis voluntatem nostram propensissimam in Te significare, quam silendo et plane nihil dicendo in suspicionem negligentiae, aut subdoli animi incidere. Annitemur vero in posterum, ut alia potius ratione Te persuasissimum reddamus, nos ea affinitate, cuius fundamenta in nuptiis cum virgine lectissima hodie ponuntur, non indignos esse; quam, ut meruit, laudibus efferremus, nisi utriusque nostrum soror esset: est certe casta, verecunda, pia, neque dubium est, quin quoque se Tibi facilem sit praebitura, ὡς κ' ἡδεα κενδνα διδάσκεις, vid. HESIOD. Oper. 697. Amore, puta, benevolentia, observantia caeterisque propioris inter nos coniunctionis officii eo sumus elaboraturi, ut plane perspicias, numquam animum nobis defuisse verae integraeque amicitiae iura

iura tuendi. Det modo Deus, ut, quod pie vovemus et fore confidimus, hae nuptiae Tuae initium sint magnae prosperitatis et felicitatis, quae indies quoque incrementum sumat auspiciatissimum. Alienum autem a Te erit illud: *ama, tamquam osurus*, quod tantum abest, ut de Te diviniore sapientiae peritissimo viro suspicari possimus, ut ne a Biante quidem dictum crederet Scipio, ut apud CICERONEM est in Laelio, cap. XVI. Ama ergo Sophiam Tuam, quod diutius, eo amabilius amplectendam. Salvus sis ac incolumis cum Henrica Tua dilectissima plurimos per annos, et fias laetissimus liberorum pater, quorum primus Ascanium, five potius Langium referat patris simillimus. Et quoniam omnis salus nulla est, quae sine salutis nostrae fonte consistere posse putatur, salvi fitis omni tempore in Salvatore vestro, imo eius coniuges sinceri persistatis in perpetuum.



110

et
ro-
ü-
ia,
ris
Bi-
E M
uo
co-
et
m,
am
nfi-

K 3234

ULB Halle

3

005 814 308



MC







B.I.G.


Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

REVIS
ENTATIO
DE
VADAM PROMISSIO-
ANDO FIRMATA

NSCRIPTA

HERTELIO, V. D. M.
OF. KLEPPISIO, S.M.C.



ENBURGI
I EMANVELIS RICHTERI.

